DE REFORMATIONE RELIGIONIS CHRISTIANÆ Per Ministros Euangelicos introducta DELIBERATIO.

A Studiosis quibusdam iuuenibus ex Daniæ & Noruegiæ Regis extra Patriam literarũ gratia, degentibus.

Proposita Professoribus Academiæ Hafniensis, Anno. 1602. 1. Oct.

Editione hac secunda in titulos & capita distincta.

Permissu Superiorum.

CRACOVIÆ,
Ex OFFICINA Nicolai Lob.
M DC VI.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

QVid deliberatione ista contineatur candide Lector, ex serie capitum libelli huius colliges, quorum summa mox ponetur post præfationē. Tu lege & expēde singula, inuenies plus quam æquam esse huiuscemodi consultationem, facileque illud simul cognosces, prætensam istā Reformationē, minimè à Spiritu sancto profectā. Neque enim id quisquam instituit, quod vel Iustitiæ ipsi repugnet; vel Schysmatum sit in Ecclesia Seminariū; vel cū tam violenta conuulsione populi Christiani coniunctum; vel tot pessimis artibus, tum calūniādi, & doctrinā ipsam maiorū, & primos eius pastores, tū scripturas ipsas sacras deprauandi, imbutū; vel quod post tot demū sæcula nouam doctrinā inuehat; eamq; & totā inconstantē, & pluribꝰ antiquis hęresibus aspersam, & infinitis nouis erroribus portā aperientē; vel qđ deniq; ex quo semel cæpit, per omnia profecerit in peius. Quæ tamē vniuersa simul in Reformatione ista reperire datur. Interim vale, & ita delibera vt veritatem assequare ac consectere.

PRÆFA-

PRÆFATIO.

CONSVLtationem hanc nostram, piè Lector, superioribus annis doctißimis Præceptoribus nostris Hafniensis Academiæ Profeßoribus misimus, rogantes, vt, pro singulari sua sapientia, salutare nobis consilium impertirentur. Eam à quibusdam interceptam fuisse cognouimus, vt nō tantùm responsum interea nullum retulerimus; sed etiam, ob eandem, Sereniß. Regem nostrum interpellatum, querelasque de nobis, aliisq́ꝫ viris bonis, & de iuuentute bene meritis, depositas fuisse intellexerimus. Ne itaq́ꝫ quisquam aliud in ea contineri suspicetur, quàm quod ab omnibus legi & sciri velimus; neque quisquam arbitretur sine iusta causa nos de religionis reforma-

tione ab Euangelicis facta, suspicionem mouere : epistolam nostram, cum bona Dominorum Professorũ gratia, immò laude, typis commendandam duximus. Hoc sicut illis minimè ingratũ fore existimamus, vt hac ratione citius nos optatum responsum impetraturos speremus; ita deliberationẽ nostrã, tam iustã, minimè à quoquam vitio nobis vertendam confidimus. Pium autem Lectorem rogatum volumus, ne ante rem bene perspectam, de causa nostra grauius aliquid statuere velit; sed responsum doctißimorum virorum nobiscum, tanquam de communi causa, expectare non grauetur. Nam si difficultatibus satis fecerint, etiam nos non inuiti cedemus, vt cum reformationis istius auctoribus atque fautoribus in gratiam redeamus.

INDEX

INDEX SEV SVMmarium Capitum huius libelli & deliberationis.

Quod

SECVNDA PARS DELIberationis.

STVDIOSI REGNORVM DANIÆ ET NORVEGIÆ

Extra Patriam per diuersas Vniuersitates studiorum gratia dispersi Doctißimis Hafniensis Academiæ Professoribus S. D.

CAP: I.

Causæ deliberationis huius institutæ, quæ bipartita propositione concluduntur.

ETSI turpe videtur, Viri ornatißimi, Christianum hominem fidem suam in dubium vocare; parumque prudentis viri existimatur, de fide quæstionem mouere, quæ ipsa hæsitatione deperit, & euanescit: quia tamen in hoc calamitosum sæculum incidimus, quo, Maiorum fide vndique oppugnata, tot de

religione introducuntur quæstiones, &, quocunque nos vertimus, tot obtruduntur reformationes inter se dissidentes, vt nullus modus nouorum dogmatum futurus apud eos videatur, qui semel auitam fidem reformandam susceperunt: in eorum nos sententiam descendere tandem coacti sumus, qui suadent, vt quisque vbi maturiorem ætatem iudicandis rebus idoneam, attigerit, fidem suam, qua à teneris annis imbutus est, iusto examini subijciat; eamque ad rectas fidei notas, quasi ad lydium lapidem, expendat, probetque, num planè ea sit, quæ à Christo Domino, Sanctisque eiusdem Apostolis prædicata, atque ab initio per orbem promulgata fuit; & cum quâ consistere omnino tutum sit, vbi in tremendo iudicio solis Christi fidelibus salus æterna decernetur.

Cum enim vnica sit Christiana fides, sui semper similis, ex qua salus sperari debet; eaque toties in aliam atque aliam transformetur, quoties vèl vnus in ea articulus immutatur: necesse est magno in discrimine versari

omnes,

omnes, qui in tanto religionis dissidio, opinionumque diuersitate, parti alicui obstinatè adhærent, quam nec dum firmiter fundatam esse perspexerint. Tum etiam tales à sacra Scriptura reprehenduntur, cùm eos asserit leues corde esse, qui citò credunt.

Non interim ignoramus quàm ardua res sit, quã animo versamus: quamque perniciosũ sit hic errare, vnde ęterna salus in discrimẽ vocatur. Ne igitur quid temerè attentemus, cum doctioribus consilia nostra conferre oppidò desideramus; vt etiam eorum sententia nobis, in tanta re, veritas comprobetur.

Etsi nusquam, in tam cultis regionibus, desint nobis viri probi & eruditi, cum quibus conferre de his potuissemus, ad vos tamen, Viri doctissimi, quorum doctrina & integritas satis nobis perspecta est, in hac nostra deliberatione accedere potissimùm visum est; quod vobis, præcæteris, propter communem patriam, eosdemque Maiores, curæ fore non dubitemus, qua fide ac religione, verane an falsa instituti, in patriam reuertamur. Vos itaq; iterum

atque iterum rogatos volumus, vt hanc noſtram conſultationem cognoſcere, nobiſque ſalutare conſilium, quo ſubnixi, vobiſcum aliquando ante æternum Iudicem securè conſiſtere valeamus, pro veſtra in Deum pietate, impartiri dignemini.

Vt autem in quibus hæc noſtra conſultatio verſetur intelligatis, primùm quid quæſiuerimus, quidúe inuenerimus; tum quid conſilij cœperimus, qua breuitate res patietur, exponemus. Multa ſiquidem veſtræ eruditioni relinquenda videmus, vt epiſtolæ noſtræ modum ſtatuamus.

PRIMA PARS Deliberationis.

CAP: II.

Quid de maiorum fide ac religione inquirẽtes extra patriã inuenerint.

PRimum diligenter inquiſiuimus, quæ ratio fidei ac religionis Maiorum noſtrorum fuerit; idque non tantum ab his à quibus traductam nouimus, verùm etiam ab illis, qui tempora

huius reformationis præcesserunt, vel deinceps eandem docuerunt, aut scriptis defenderunt; tum etiam à viris eruditis earum nationum, vbi eadem adhuc viget. Intelleximus autem nihil in ea diuersum extitisse ab ea fide ac religione, quæ in Dei Ecclesia supra, vel infra annos mille in orbe viguit apud Christianos; atque perbellè in omnibus eam probatorum Conciliorum decretis ac definitionibus, Sanctorumque Patrum, quos Deus Ecclesiæ suæ Doctores dedit, scriptis consentire: atque adeò longè aliam fuisse ab ea, quæ in Euangelicorum Doctorum libris, & communiter in pulpitis apud nostrates, tanquam maiorum, depingitur.

CAP: III.

Quid contra de auitæ religionis reformatione, ab Euangelicis facta inquisierint, inuenerintque.

DEinde eadem diligentia inquisiuimus de Reformatione Auitæ religionis facta; à quibus, qua occasione,

& qualiter perfecta fuerit, quemque euentum habuerit. hic quid inuenerimus, quidue alij de his senserint bona fide in mediũ adferemus, quòd his magna pars consultationis nostræ constet.

CAP. IV.

1. Quòd reformatio ista à priuato monacho æmulatione permoto, cōtra ordinem iuris & diuini & humani introducta fuerit

INprimis cognouimus eam reformationem à D. Martino Luthero priuato Monacho æmulatione quadam prouocato, & nihil minus quàm tale quid initio meditanti (vt ipse scripto confessus est) suggestam: politica verò potestate, vel populari motu deinceps institutam atque confectam esse; & quidem ita, vt fides atque religio Maiorum nostrorum, totiusque Christianismi, in præiudicium tum totius Catholicæ Ecclesiæ, ordinariorumq; Episcoporũ, atque Pastorum, sine Sinodo, indicta causa, sine iudiciali ordine, ab ipsismet

accuſatoribus condemnata, atque mutata ſit.

Hanc rationem iudicij, pij omnes, vt iuri tum diuino, tum humano contrariam, damnant, ita alieniſsimam autumant, negantque Spiritum eam ſuggerere, aut probare potuiſſe, cum & iniuſtam, & eis ſemper familiarem fuiſſe conſtet, qui prætextu reformationis, Chriſtianam fidem labefactare, atque euertere ſunt conati.

CAP: V.

2. *Quod per ſeceſsionẽ & Schiſma in Eccleſia inuecta fuerit.*

DEinde inuenimus eam reformationem, vbi in terris conſiſteret, locum non reperiſſe, niſi vniuerſalis Eccleſiæ Chriſti vnitatem diſſolueret, nouamque ſibi Synagogam, extra totius Eccleſiæ cœtum, cogeret, quæ, repudiata matre, peſsimo exemplo ſibi ſoli Eccleſiæ Chriſti nomen arrogaret. Exemplum talis reformationis aliquando in Eccleſia inſtitutæ requirunt boni o-

mnes; quod cum non inueniant, nullaque causa cuiquam iusta esse posit Dei Ecclesiam scindendi: non possunt
Ioan.17 non suspectam habere; presertim cum Christus, ad passionem suam iturus, tam sollicitè pro suis orauerit, vt sint vnum, sicut ipse cum Patre vnus est.
Eph: 4. Et Apostolus mandet Ephesiis, vt sollicitè seruent vnitatem Spiritus. Et quid mirùm tantopere fidelibus commendatam esse vnitatem? cum eos qui ab vnitate Ecclesiæ recedunt exacescere necesse sit, non secus atque ramos à trunco auulsos. Non enim extra Ecclesiam viuitur: neque Ecclesia diuisa esse potest.

Cap: VI.

3. *Quod magnam vim tum Ecclesiæ Dei tum Christianis Regnis intulerit.*

TErtio eandem reformationem magnam vim tum Ecclesiis, tum regnis Christianis intulisse perspeximus. Nam Christianum populum à suis or-

dinariis paſtoribus, atque Epiſcopis, ſub quibus vixit, ex quo ad Chriſti fidem conuerſus fuit, ad alienos non vocatos auertit: ipſos autem antiquos Ecclesiæ paſtores, religioſóſque viros, vt potuit, partim trucidauit, partim carceribus incluſit, partim, vi facta, in exilium egit. Templa denique, altaria, piáque loca, pietati, diuiniſque rebus à piis Maioribus conſecrata, violauit, diripuit, euertit, ſoloque æquauit, eodem modo quo olim fecêre impij Ariani, & eorum ſimiles.

Nec minus regna perturbauit. Nam ſubditos contra ſuos Principes ac Dominos commouit, excitauit, armauit. Principes enim Germaniæ mouit contra ſuum Imperatorem: Ruſticos diuerſis in locis, contra ſuos Dominos; Hugonotas in Gallia contra ſuos Reges: Scotos contra ſuam Reginam: Belgas contra ſuum Regem: & Suecos hodíe contra Regem, regniq; heredem. Quid, quòd ipſe huius Reformationis Euangeliſta Turcæ claſsicum cecinerit, docens contra Turcam præliari, eſſe Deo repugnare: immò Turcam eiuſq; im-

perium, longè præstare Christiãis Principibus, eorumq́ue imperiis?

Quantum autem hac sua doctrina profecerit, res ipsa declarauit. Nam & eius sectæ homines firmamẽta aliquot Christianismi Turcis prodiderunt, & magnæ turmæ talium Christianorum subTurcæ signis contra Christianos hodiè militant, multoq; plures eundem auidè in Germaniam expectant, quæ omnia non reformationis, sed deformationis Christianismi certa sunt signa.

CAP: VII.

4. Quod malis artibus variis instituta profecerit.

QVarto, vt Reformatio illa non ordinaria via incesit, qua Ecclesia Dei in religionis controuersiis disceptandis, moribusq́ue reformandis vti consueuit; ita neque Christianis, aut saltem honestis mediis vsa esse perhibetur. Obiicitur enim illius Reformationis Ministris, quòd, vt suam reformationem intruderent, Maiorum doctrinam, primosq́ue Ecclesiæ Pastores

calum-

calumniis ac mendaciis traduxerint: Scripturas ſacras partim mutilauerint, partim falſa interpretatione corruperint: Imperito denique populo, tum his quæ in Auitam religionem confinxerant, tum ſuis paralogiſmis, falſiſque rationibus, tenebras offuderint, eoſdēque miſerandū in modum deceperint.

Euidentia ſanè ſunt hæc malarum artium argumenta, & à multis litteris conſignata, vt ea negare difficilè ſit, nos pauca attingemus, quæ ad pręſentem noſtram deliberationem ſufficere poſſunt, vt ea nobiſcum pondereтis.

CAP: VIII.

Ars prima Reformatæ religionis mala: Calumniis variis Maiorum doctrinam denigrare.

QVAntum ad Chriſtianam doctrinam Maiorum in multis eam culpabant, aliis eandem defendentibus.

1. Calumnia.

Aiebant Euangelici reformatores, doctrinam fidei Auorum non Verbo Dei,

ſed humanis, niti traditionibus, ac ſomniis. Pernegant hoc Maiorum defenſores; oſtendentes apud eos ſemper doctum fuiſſe omnem doctrinæ rationem, quæ fidelibus traditur, verbo Dei cōtineri: quod & iam declarauerũt Tridentini Concilij Patres in ſuo ad Parochos Catechiſmo. *Cat: in Proẽio:*

2. Calumnia Doctrinæ.

Aiebant illi, Maiorum fidem ſenſim à veritate deflexiſſe, & in multis articulis corruptam eſſe. Contra contendunt hi, doctrinam fidei ac morum, prout ab Apoſtolis tradita fuit, per omnia integram inuiolatamque in viſibili Chriſti Eccleſia in hunc vſque diem perſeueraſſe; purumque Chriſti Euangeliũ Maioribus noſtris, vt aliis gentibus, prædicatum fuiſſe; idemq;, cum toto Chriſtianiſmo tenuiſſe, vt in vllo articulo doctrinam mutatam fuiſſe, nec dum Euangelici illi Doctores probare potuerint:

3. Calumnia:

Aiebant illi, Maiores crediſſe hominem ſolis naturæ viribus poſſe opera bona

bona ad salutem vtilia exercere. At hi non Maiorum, sed Pelagianorum hoc commentum esse respondent, quod Maiorum Ecclesia ab initio damnauit: Maiorum autem, totiusque Ecclesiæ perpetuam doctrinã fuisse: hominem suis viribus, ne quidem bonum, vt oportet, cogitare posse, nedum facere; sed omne opus bonum Deo gratum ex Christi gratia proficisci, Deo præueniente, & adiuuante hominis voluntatẽ.

4. *Calumnia.*

Aiebant illi, Auitæ fidei cultores, neglecta Christi iustitia, voluisse se sua iustitia coram Deo iustificare, iustosque esse. Negant hi, vt qui semper crediderint, & cum tota Ecclesia docuerint; iustitiam quæ ex naturæ viribus habetur, nihil apud Deum valere: eam autem solam Deo placere, salutisque effectricem esse, quæ homini propter Christum in iustificatione donatur; cum illi, remissis peccatis, donum fidei, spei & charitatis à Spiritu sancto infunditur, quo homo interior rectus, ac Deo conformis efficitur.

5. Calumnia.

Aiebant illi, Maiores voluiſſe non gratis propter Chriſtum, ſed propter ſua merita apud Deum iuſtificari. Hi autem calumniã hanc à Maioribus ſuis amolientes, docent eos conſtanter credidiſſe, quemque Dei ſolius miſericordia, propter Chriſti merita iuſtificari: ante iuſtificationem verò nulla bona merita eſſe poſſe.

6. Calumnia.

Aiebant illi, Maiores internam ſuam iuſtitiam Dei iudicio in iuſtificatione oppoſuiſſe, vt propter eam peccata illis remitterentur. Hi falſo hoc illis affingi querũtur, cum etiam hodie per totum orbem credat eadem Eccleſia, peccata tantum propter Chriſti merita iniuſto remitti, & ſimul iuſtitiam donari, cum per Spiritum Sanctum intus ſecundum Deum, renouatur; qua renouatione coram Deo formaliter iuſtus fit: ante remiſsionem vero peccatorum nullam eſſe hominis iuſtitiam; ſed Chriſti merita homini applicari gratis, vt propter

ea iustificetur per remissionem peccatorum, & iustitiæ infusionem.

7. *Calumnia.*

Aiebant illi, Maiores non ex Christi meritis, sed ex suis bonis operibus vitam æternam sperasse. Contendunt hi id ab eorum mente alienissimũ fuisse; cum nulla nisi ex Christi meritis, hominis merita esse; & ex solis Christi meritis ius æternæ hæreditatis accipi crediderint. Cum interim promittat Deus vitam æternam bona facientibus vt operum mercedem; etiam eo titulo eandem & quidem maiori cumulo sperari posse docuerunt; præsertim cum Deo placet ita coronare dona sua in fidelibus propter Redemptoris merita, & suæ liberalitatis propositum, in hac autem doctrina nihil esse inconueniens, si benè expendatur.

8. *Calumnia.*

Aiebant illi. Maiores diuinum honorem in Sanctos, eorumque imagines, cum summa Dei iniuria, transtulisse. Hi impietatem hanc per summam calumniam maioribus impingi demonstrant.

ſtrant. Nam illos cum toto Chriſtianiſmo ſenſiſſe exploratum habetur, nullum alium honorẽ Sanctis deferri poſſe, quàm qui piis in terris hominibus ritè defertur: neque eorum imaginibus alium honorem delatum, quàm qui ſignis, vt ipſam rem repræſentant, oculiſque ſubiiciunt, conueniat. Sanctos vero vicisſim, pro ſua caritate, ea viuentibus præſtare, quæ viui poterant; & quidem efficaciùs multoque copioſiùs, prout nunc bonorũ omnium fonti ſunt coniunctiores.

9. *Calumnia.*

Aiebant illi, Maiores noſtros humanis inuentis Sacramentariam vim attribuiſſe. Hi id ita eſſe pernegant. Nam tantum ſeptem illa Sacramenta, quæ à CHRISTO inſtituta, atque ab Apoſtolis Eccleſiæ tradita ſunt, pro Sacramentis habuerunt, ſicut ea ſemper habuit Catholica Eccleſia: hominibus autem negauerunt poteſtatem Sacramenta inſtituendi. Porrò rebus, quæ in Eccleſia benedici ſolent, vim Sacramentalem non tribuebant, ſed id tan-

tum, quod illis Ecclesiæ oratio conferre potuit.

10. Calumnia.

Aiebant illi, Missæ sacrificium à Romanis Pontificibus, ad questum faciendum, opesque cumulandas excogitatum fuisse. Id hi contumeliosè confictum esse, asseuerant; cum constet illud longè antiquius esse illis Pontificibus, quibus illi hoc commentum attribuunt; vtpote à CHRISTO in vltima cœna institutum, & ab Apostolis Ecclesiis traditum, prout tota antiquitas testatur; vt iam inde tum in Græca, tum in Latina Ecclesia per totum Christianum orbem, in hunc vsque diem, Deo, pro viuis & fidelibus defunctis, sit oblatum, iuxta perantiquam Malachię prophetiam. *Mala: 1*

11. Calumnia.

Aiebant illi, Maiorum tempore Sacerdotes, per summam iniuriam, Calicem Domini popularibus eripuisse, vt sic dignior appareret Sacerdotum status in Ecclesia. Hi etiam hanc contumeliam à Sacerdotibus propulsant, docentq; ad

Sacrificij rationem ſpectat, quòd Sacerdotes vtramque partem conſecrent ac ſumant: ſub vtraque verò, vel altera tantum ſpecie communnicare licet ſemper in Eccleſia adiaphorum, ſeu indifferens ſit iudicatum prout etiam duces huius reformationis Euangelicæ initiò iudicauerunt: ex magnis tamen & iuſtis cauſis omnibus vbique ſacram Synaxim accedētibus, tam Sacerdotibus, quàm popularibus, ab aliquot ſæculis, Eccleſiæ Iudicio, Sacramentum ſub vna tantum ſpecie diſtributum fuiſſe, tùm quòd diuinum præceptum aliud non habeat, tùm quòd fructus Sacræ Communionis ex eo ſit, quòd Chriſtus, qui verè animæ cibus eſt, ſumatur; qui idem ſemper totus, & integer accipitur, ſiue ſub vna, ſiue ſub vtraque ſpecie Sacramentum porrigatur. Atque hæc de calumniis in doctrinam ſufficere poſſunt, quæ nos ex magno cumulo decerpſimus.

CAP: IX.

Ars secunda Reformatæ religionis mala, Calumniis variis summũ Pastorem Ecclesiæ traducere.

1. Calumnia.

NEc minor querela est de peracerbis in antiquæ Ecclesiæ Pastores calumniis, ac præsertim in Romanum Pontificem, quem Antichristum esse finxerunt; quasi is se pro Deo venditet, ac de fide, cultuque pro suo arbitratu scita faciat: condonationem peccatorum, cœlesteque regnum pecunia venundet, regnaque transferat. Respondent hi minimè nouam esse calumniam; sed à priscis illis hæreticis Donatistis, Luciferianis, aliisque eius farinę nouatoribus confictam fuisse, vt exauctorato Pastore, liberiùs in gregem seuire possent, eandemque calumniam ab illis mutuatos esse Euangelicos. Papa enim non aliud præ se gerit, quàm Episcopale munus in Romana Ecclesia, cum generali Pastorali iurisdictione in vniuersam Christi Ecclesiam, prout eam habuerũt omnes prædecessores *Ioann. vltim.*

eius

eius vſque indè à Sancto Petro, cui, præ aliis, Chriſtus oues ſuas tertio paſcēdas cōmiſit: Hanc autem generalē iuriſdictionem Eccleſiæ Dei, neceſſariam fuiſſe, eoque ſpectare, vt ille, tanquam totius Eccleſiæ Paſtor, totius ouilis curam habeat, vt per loca idonei Epiſcopi & Paſtores conſtituantur; omnes in conſenſu, fideique vnitate, nec non officio contineantur; denique vt Chriſtiana fidês ad omnes mundi partes propagetur, & vbi collapſa fuerit reparetur.

2. *Calumnia.*

Addunt etiam verum non eſſe, ipſum pro ſuo arbitratu, rationem fidei ac religionis, præſcribere: ſed hoc ſatagere tùm in ſuo Senatu, tùm in Sinodis cū Epiſcopis, & Doctorib⁹, vt fides, Chriſtianaque religio verbo Dei conſentanea, prout ab Apoſtolis tradita fuit, declaretur, & ſarta tecta in Eccleſia Dei conſeruetur, ac vigeat; quod cum ferre non poſsint, qui res nouas moliuntur, quid mirum ſi ringuntur, & in antiquitatis cuſtodem, conſeruatoremque inſurgant?

3. Calumnia.

Perinde etiam falſo confictum perhibent, Papam peccatorum veniam, aut ad cœlum aditum vendere. Nam cum pœnitentibus & bona operantibus vitam æternam promittit, non vendit cœlum, ſed Euangeliū prædicat, quod talibus in cœlum aditum promittit: Cùm autem iuſta ex cauſa fidelibus indulget, debitaque remittit; non id precio inductus facit, verum tanquam generalis Eccleſiæ Oeconomus, cui à CHRISTO diſpenſatio commiſſa eſt, fideles Canonibus Eccleſiæ ſoluit, ſeu, vt loquuntur, cum illis diſpenſat, vel condonationem ac remiſsionem facit: debita autem eleemoſynis, piisque operibus commutat, vt neceſsitati Eccleſiæ ſubueniat, vel pium opus promoueat, vel fidelium conſolationi conſulat.

4. Calumnia.

Quantum verò ad Regnorum tranſlationem, de qua Papam accuſant, nihil eam à generalis Paſtoris officio alienū habere reſpondent. Nam cum politica

Regnorum administratio ad Spiritualem, vt finem, referatur; vbi propter eam Spiritualis periclitatur, Spiritualis Patris est hisce incommodis, potestate sibi à Deo tradita, sic occurrere vt saluti subditorum consulatur, præsertim quando aliter fieri non potest. Sed de calumniis dictum sit.

CAP. X.

Ars 3. Reformatæ religionis Scripturas ipsas sacras variè vel corrumpere vel mutilare.

DE Sacrarum literarum verbique Diuini corruptelis, prolixum esset dicere, neque operæprecium existimamus eas hic commemorare, cùm de his à multis scriptum sit: hoc autem adpræsentis rei iudicium sufficere putamus quòd dicant minimè obscurum esse, Reformatores illos magnum in eo studium posuisse, vt Sacras Scripturas contra communem Sanctorum Patrum consensum intrepretarentur, prout à multis notatum est: quarum au-

tem ſententiam ſic declinare, deflecte-
reque nequiuerunt, eas Scripturas in
dubium vocaſſe, ac tanquam apocry-
phas, contra totius Chriſtianiſmi an-
tiquam ſententiã, reieciſſe; prout tum
Germanica, tum noſtra Danica Biblia
hodiè teſtantur.

Idem iudicium eſſe docent de eo-
rundem Paralogiſmis, fallaciumq́; col-
lectionum cumulis, qui in eorum ſcri-
ptis paſsim leguntur; cum vel ad anti-
quitatem conuellendam, ſuaſq́ue opi-
niones ſtatuendas, ſcripturas fundunt
copioſiſsimè, quantumuis ad rem pa-
rum faciant: vel à ſacrarum rerum abu-
ſu, vitiiſq́ue Eccleſiaſticorum frequen-
tiſsimè argumentantur, quæ ratio ſi
probaretur, nihil humanis vſibus inte-
grum, nullumq́; in Republica officium
legitimũ relinqueretur. De malis igitur
Reformatorũ artibus ſic inſtructi ſum*,
vt, quomodo excuſari poſsint, non vi-
deamus. Sed nos ad alia pergamus, quæ
in illa reformatione inuenimus.

CAP: XI.

 Quod

Quod Reformatio ista non tam auitam fidem reformârit quam nouam doctrinam inuexerit, eamque inconstantem; variis antiquis hæresibus aspersam & omnibus nouis erroribus portas aperientem.

QVinto inuenimus reformationem Euangelicorum nō Euangelicam, sed nouæ fidei doctrinam in Ecclesiam inuexisse, eamque passim antiquis hæresibus, iam olim damnatis, aspersam, atque insuper sic comparatam, vt omnibus hæresibus quæ fuerunt, vel excogitari poterunt, & portam aperiat, & viam sternat spaciosissimam. Hæc quomodo à Catholicis doceantur paucis ostendemus.

CAP. XII.

Quod nouam doctrinā induxerit.

EVangelicam doctrinam, qua parte ab Auita differt, nouam esse, inprimis inde colligunt, quòd Lutherus, eius doctrinæ Euangelista, sæpè glorie-

tur in suis scriptis, sibi iam esse reuelatam, seque primitias illius Spiritus accepisse. De illo Spiritu quis fuerit, valdè sinistrà suspicantur eius aduersarij. existimant enim fuisse Spiritum illum eidem familiarem, cum quo frustum salis se comedisse aliquando gloriatus est. Et quidem ipse scribit de disputatione suâ cum Malo illo Spiritu intempesta nocte habita; in qua fatetur sibi ab eo persuasum fuisse, sacrificium externum, aut Sacerdotium à Christo nullum in Ecclesia institutum esse. qui articulus ex præcipuis eius doctrinæ est, quem deinceps docuit, & rationibus quibus conuictus fuit, confirmauit. ab eodem Spiritu etiam plura eum accepisse, non immeritò arbitrantur.

Tom: 7. Latino de abroganda Missa.

Deinde satis constare dicunt, Lutheri doctrinam magna ex parte ex disputationibus natam esse: cum necesse ei fuerit ea admittere, quæ ad ea, quæ defendenda susceperat, consequentia essent. Vnde etiam factum est, vt, cum aliquando eò, quò disputatio ducebat, sequi horruerit; tum ab aduersariis,

quod sibi non constaret, tum postea à propriis discipulis tanquã timidior sit reprehensus. Reprehendũt enim eũ Sacramentarij, quòd ad eorum placita nõ perrexerit, quę ex doctrina illius de Eucharistia sequebantur. Reprehendunt eundem Anabaptistæ, quòd in stulta sententia, de infantium actuali fide, substiterit, & ad pædobaptismum tollendum non fuerit progressus, quod ex eiusdem doctrina de fide iustificante consequebatur. Reprehendunt eum noui Ariani, Samosateni, & alij similes, quòd cum ostium ad eorum propria dogmata ipsis aperuisset, limenque triuisset, timidior, quam decuit Euangelistam Christi, pedem retulerit.

Denique nouam doctrinam esse inde præcipuè demonstrant; quòd Lutherus nusquam terrarum eam doctrinam ante se inuenerit: neque interea, quantumuis multùm quæsita, vllibi sit inuenta; immò neque quemquam adhuc repertum esse, qui docere potuerit eam vspiam, vsque ab Apostolis, in orbe doctam aut creditam fuisse. quod

ſane à CHRISTI Euangelio prorſus alienum videtur; cum CHRISTVS dixerit ſuum Euangelium prædicandum in vniuerſo orbe: Seque cum Euangelizantibus fore omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi. *Mat: 24* *Mat: 28*

Non ignoramus tamen eſſe qui conantur Euangelicorum doctrinam ad prædeceſſores quoſdam antiquos referre; Sed id efficacius longè præſtare videntur eorum aduerſarij cum docent Euangelicos quidem ex ſuperioribus ſæculis Patres inuenire; verum non vniuſmodi, ſed diuerſarum hæreſum: cum nullo autem eorum, prætẽrquã in vno aut paucis articulis, Euangelicos conuenire: in aliis verò ex diametro pugnare, prout mox ex eorundẽ ſententia referemus.

CAP: XIII.

Quod inconſtantem doctrinam tradiderit.

De inconſtantia porro doctrinæ Euangelicorum à multis exagitata, ſuperfluum videtur hîc dicere, cum

Protheo

Protheo mutabilior non ſine cauſa paſſim habeatur. Quis enim ignorat, inquiunt aduerſarij, Lutherum, & Achatem eius Philippum multoties ſententiam, etiam in rebus maximis, mutauiſſe. Ad quam varia etiam deinde deflexerint eorum diſcipuli, indicio ſunt tot ſectæ, quæ hodiè Lutheranum orbem vaſtant. Etenim animaduerterunt viri docti, & res ipſa loquitur, ex Lutheraniſmo rectum & tritum iter patere ad Sacramentarios: à Sacramentarijs ad Arianos: ab Arianis ad Machometanos, vel etiam Atheiſmum, qui demũ in Sathaniſmum deſinit omnis erroris gurgitem.

CAP: XIIII.

Quòd antiquis hæreſibus aſperſam doctrinam inuexerit.

TErtius erat, doctrinam Euangelicorum communem, antiquarum hæreſum erroribus aſperſam eſſe. Cùm enim Lutherus, ob excommunicationem in ſe latam, in Papam ingens odium concepiſſet, quærebat ex priorum

temporum controuersiis ea quæ Papæ maximè aduersaretur; prout ipse fatetur, scribens contra Sacramentarios. vbi etiam addit, si quis tum illi persuadere potuisset errorem Sacramentariorum, id gratum sibi futurum, quod se ea doctrina plurimũ Papæ officere potuisse videret. Indidem multa'is mutuatus est, suámque doctrinam refersit, prout iam ex Catholicorum scriptis ostendemus.

1. Hæresis

Antiqua Reformationi isti admixta.

Docuit Traditiones Apostolicas in Ecclesia nullius auctoritatis esse, sed soli Scripturæ standum. Illud habuit à Marionitis, Valentinianis, Arianis, Aërianis, & aliis multis hæreticis.

Irin. lib. 3. Tertul. de præscrip. hæreticorum. Epiphan. hæres. 69. Basil 27. de Spiritu Sancto.

2. Hæresis.

Visibilem Ecclesiam Catholicam a-

liquãdo à vera fide defeciſſe, ac periјſſe. Idem dixerunt Donatiſtæ, Luciferiani, Berengarij, Neſtoriani, Valdenſes.

Aug. de Vnitate Eccleſiæ, & hæreſi 69. Hieron. in Lucifer. Ioannes Turrecremiata lib. 4. Sum. parte 2. cap. 35. Laufrancus contra Berengarium.

3. Hæreſis.

Nullum viſibile caput Eccleſiæ à CHRISTO conſtitutum eſſe. Idem aſſeruerunt demum Marſilius, & Iandunus ante annos circiter 300. quorũ damnatio exſtat.

Aluarus de planctu Eccleſiæ, cap. 68. Extrauag. Ioannis 22.

4. Hæreſis.

Eccleſiam, quam in Symbolo confitemur, tantum eſſe iuſtorum, & ob id inuiſibilem. Idem olim docuerunt Taciani, Donatiſtæ, & Pelagiani. Electorum tantum eſſe dixit Hus, vt hodiè Hunnius Vbiquiſta.

Epipha-

Epiphan. heref. 46. Aug. contra Donatiſtas, poſt collationē. & hæreſi 88. Concil. Conſtant. Seſſ. 5.

5. Hæreſis.

Bona opera non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſolam fidem ſufficere. Eadem doctrina fuit Pſeudoapoſtolorum, & Aërianorum, ſeu Eunomianorum, ante eos etiam Simonis Magi.

Iacob. 2. Epiphan. in Indice in lib. 3. contra hæreſes. Aug. hæreſ. 54. Irinæus lib. 1. ca. 20.

6. Hæreſis.

Sacramenta non conferre gratiam, quā ſignificant; ſed nuda ſigna eſſe ſine vi. Idem docuêre Armeni Hæretici tēpore Phocæ; & Cathari tēpore Alexandri Tertij: baptiſmū quoq; ſignū tantū eſſe ſine virtute dixerunt Albigenſes.

D. Gregor. lib. 12. epl. cap. 10. Guido de hæreſib. Antonius parte 4. tit. 11. cap. 7.

7. Hæresis.

In iustificatione impij per baptismū non tolli peccata, sed tantum tegi. Idē asseruerunt Messaliani, qui & Euchitæ dicti sunt. Proclus quoque antiquus Origenista, non tolli peccatum, sed illud in carne tegere suas radices dixit.

Theodoretus lib. 4. haret. fabul. Epiphanius haresi. 64.

8. Hæresis.

Nullum externū sacrificium à Christo in Ecclesia institutum esse. Idem Manichæi, Brusiani, & VVicleplstæ. Bogomiles etiam Diaboli Sacrificium esse dixerunt, quod in Ecclesia offertur; at paulò mitiùs Euangelici, qui Idolomaniam & incantationē vocant.

Aug. lib. 29. contra Faustum cap. 18. Euthim. parte 2. tit. 23.

9. Hæresis.

In Eucharistia non esse conuersum Panem in Corpus Domini, & Vinum

in ſanguinem; ſed ſub illis, & in illis eſſe. Idem docuit Berengarius à Sacramentaria hæreſi conuerſus, & in hanc relapſus.

Blondus decade. 2. lib. 3. Concil. Roman. ſub Gregor. 7.

10. Hæreſis.

In pœnitentia non requiri peccatorum confeſsionem, & ſatisfactionem. Idem Montanus dixit, Iacobitæ, & Albigenſes.

Hier. ad Marcellam de error. Mont. Buchingerus in hiſt. Eccleſ. Anton. 4. parte. tit. 11. cap. 7.

11. Hæreſis.

Ex ſua fide iuſtificante certos fieri homines de iuſtitia, quod iuſti ſint, & filij Dei. Eandem certitudinem docuerunt Pelagiani, & Almericus hæretici.

Hier. lib. 3. in Pelag. Aug. de Cor. & gratia cap. 6. Vincent. in ſpeculo lib. 29. cap. 107.

12. Hæresis.

Inuocare Sanctos, eorumque reliquias venerari, esse Idolatriam. Idem dixerunt Caini soboles Gnosticorum, Manichæi, & Vigilantius.

Hieron. in Vigil. cap. 3. Aug. lib. 20. contra Faustum. cap. 21.

13. Hæresis.

Venerationem Crucis & imaginum Sanctorum Idolatriam esse. Idem Iconomachi, Paulitiani filij Manichæorũ, & Valentinianorum.

Damascenus hæresi. 102. Synod. 7. Euthim. parte 2. tit. 21.

14. Hæresis.

Miracula, quæ fiunt in memoriis monumentisque Sanctorum ad preces fidelium, Diaboli præstigias esse. Idem Vigilantius, & Valdenses.

Hier. in Vigilant. Antonius parte. 4.

15. Hæresis.

Obseruare Ecclesiastica Ieiunia ope-

ræprecium non esse; abstinentia autem à certis cibis, doctrinam esse Dæmoniorum. Idem, sed modestius, dixerunt Iouiniani, Enstatiani, Aëriani.

Hier. in Iouin. Epiphan. hæres. 75. Aug. hæres. 51. Socrates lib. 2. cap. 33.

16. Hæresis.

Episcopos & Præsbiteros hic omnes æquales esse: omnes verò electos in cœlesti gloria pares fore. Illud olim docuerunt Aëriani Arij discipuli, hoc Iouinianus hæreticus.

Epiph. hæres: 75. Aug. 51. Hieron. lib. 2. in Iouin.

Ex his igitur patere aiunt, quos suorum dogmatum Patres habeant Euangelici; nec sic tamen satis inter se consentiunt.

Cap: XV.

Quod Reformatio ista omnibus erroribus nouis portam aperuerit.

IAm postremũ superest, nempè quod omnibus hæresibus ostium aperiat,

viamque sternat; quod paucis expediemus.

Qui Maiorum fidem defendunt, hæreses ex ea reformatione ortas, numerant circiter 260. Sed nec dum omnia oua exclusa esse dicunt. Eiusdem beneficio quotquot adhuc in inferno sepultæ iacent facilè redituras, & quidē deteriores quàm ante fuerint, vtpote Euangelicorum erroribus suffultas, quales apparuerunt, quæ hactenus inde caput extulerunt, constanter asseuerant. Causas autem dant: Quia Sacrā Scripturam certo teste priuauit, vt quisque, per contentionem, quicquid ex ea reijcere velit, possit; vel etiam totam, tanquam humanam traditionem, negare; prout faciunt huius temporis Athei. quia Catholicæ Ecclesiæ, quam Deus vt columnam & firmamentum in terra fixit, authoritatem in testando & iudicando sustulit. quia Synodorū generalium approbatam sententiam eleuauit. quia denique SacramScripturam sic iudicem controuersiarum fecit, vt semper lites foueat; & quisque sententiam eiusdem pro se pronunciare

non

non dubitet, modo se Spiritum Dei habere (quod omnes volunt) confidat. His enim sic constitutis, Christiana fides Diabolo cribranda, omnique errore contaminanda propinata est. Sentiunt hoc ipsi Sectarij, qui de Atheismo apud se succrescente. grauiter conqueruntur.

CAP. XVI.

Quod ex ista Reformatione, omnia in peius profecerint.

POstremò ex hac Reformatione animaduertimus, omnia, præter morem veri Euangelij, in deterius profecisse. Nam, præter innumera de fide dissidia quæ attulit, vnde passim odia, rixæ, cōtentiones, maledictiones, seditiones inundauerunt; etiam morum ingens in populo facta est vastitas apud omnes ad quos ingressa est. De hac vastitate non semel questus est in suis scriptis ipse Lutherus; admirans, quo magis prædicetur Euangelion, eo reddi homines deteriores, quàm ante fuerint. Apud Aurifabrum autem sic loquitur:

Luther. in Postil. Ienensi in Prima Do-

minica Aduent. Post reuelatum Euangelion, Virtus est occisa, iustitia oppressa, temperantia ligata, veritas à canibus lacerata, fides clauda, nequitia quotidiana, deuotio pulsa, hæresis relicta. Similia testantur alij eiusdem Euangelij Præcones de suis, quorum verba præterimus tum breuitatis gratia, tum quod plura de his sciantur, quàm scribi posint. Sic autem res in dies crescit, vt deteriora semper expectanda sint. Illud verò iure dolendum, clamant omnes, quòd non perinde sciatur ab omnibus, hunc fructum proprium esse hæresis & apostatiæ. Atque hæc sunt quæ, præter alia, in Euangelicorum reformatione inuenimus: quid autem nos consilij cœperimus, exponemus.

SECVNDA PARS deliberationis.

CAP: XVII.

Deprehensa fraude prætensa Reformationis, quid de Veritate inquirenda deliberarint.

DEprehensa non obscura huius reformationis fraude, quâ & ipsi hactenus implicati fuimus; de veritate inquirẽda ante omnia deliberauimus. Eam quidem sine scripturarum adminiculo quærere temerarium duximus: sed cum tot, tantarumque controuersiarum, quæ ex Sacris Scripturis disputantur, nos ipsos censores constituere non possemus, media quædam via, eaque tutissima, nobis insinuata est, atque ex ijs quæ extra controuersiam conceduntur, ratio veritatis inueniendæ est patefacta. Duo namque ex Sacra Scriptura certò deprehenduntur: scilicet; esse veritatem Dei in terra: & vbi ea sit. ex his porrò non difficulter habetur tertium, etiam Scriptura adstipulante; nempè vnde veritas sine omni dubio aut ambiguitate haberi possit.

CAP. XVIII.

Semper esse Veritatem Dei in terris.

ESse semper veritatem Dei in terra, præsertim ab eo tempore, quo CHRISTVS eam in terra fundauit,

omni-

omnibus in confesso est, secundum illud Psalmi: In æternum Domine Verbum tuum permanet in cœlo: in generatione & generationem veritas tua, fundasti terram & permanet. & illud Isaiæ: Verbum autem Domini manet in æternum.

Psa: 118
Isaia 14

Cap: XIX.

Semper in Ecclesia spectabili Veritatem Dei inueniri.

VBi sit veritas, eodem compendio cognouimus. Nam Apostolus ad Timotheum dicit Ecclesiam esse domũ Dei, columnam ac firmamentum veritatis; contra quam, inquit, Christum, non præualituras inferorum portas.

1 Tim. 3.
Matt: 16

Et si igitur veritatem semper in Catholica Ecclesia esse, nemo ferè, aiunt, in dubium vocet; quæstionem tamen quidam mouent, vtrum in visibili, an inuisibili Ecclesia veritas semper maneat; quæ quidem quæstio eò tendit, vt fructum huius veritatis, quem omnibus manifestum esse voluit Spiritus sanctus obscuret; asserentes veritatem

Dei

Dei semper quidem in inuisibili Ecclesia esse: in visibili non item, cum sæpè eam longo tempore errare contingat.

CAP: XX.

Nullam esse in terris Ecclesiam præter visibilem eidemq́ue omnes promißiones quæ ad Ecclesiam pertinent esse factas.

VErũ apud veritatis studiosos hanc distinctionem nihil pensi habere ostendunt aduersarij, cum id distinguũt tanquam diuersa quod tantùm vnum esse potest, vt explicatur in Symbolo Nicęno. Inprimis enim commentum de inuisibili Ecclesia, viro orthodoxo displicebit, qui illud antiquorum & absurdorum hæreticorum esse nouerit. Illud asseruisse Tacianos aquarios, testatur D. Epiphanius hæresi 46. etiam Donatistarum fuisse, testatur D. Aug. lib. post Collationẽ Cap. 6. & sequentibus. Pelagij, inimici gratiæ CHRISTI, idem quoque fuisse, docet Augustinus hæresi 88. qui omnes pro exploratis

hæreticis etiam ab Euangelicis habentur & damnantur. Quanquam enim in populo Dei ſint iuſti & iniuſti, non tamen vlla eſt Eccleſia in hac vita iuſtorum tantum; ſed vna eſt CHRISTI Catholica Eccleſia ex iuſtis & iniuſtis congregata, quam in Symbolo confitemur.

Deinde Sacræ Scripturæ non inuiſibili atque conſpicuæ Eccleſiæ promiſſiones omnes ſanciunt, vnamq; Eccleſiam agnoſcunt. Hoc in primis euidentiſsimè docet pactum noui teſtamenti quod Deus cum Eccleſia pepigit, quod legitur apud Iſaiam his verbis: Hoc
Iſa. 59. fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui, dicit Dominus, amodò & vſque in ſempiternum. Cui è regione reſpondet Chriſti promiſsio
Ioan. 14 apud D. Ioannem: Et ego, inquit, rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis. Apertè loqui-

tur Deus apud Isaiam de verbo prædicationis, quod est visibilis Ecclesiæ: & Christus illis loquitur, quos, ascensurus in cœlum, ad Euangelium docendum misit in totum orbem.

Idem quoque ex his quæ apud Isaiam sequuntur perspicuum est: Ambulabunt (inquit) gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui, &c. Et ædificabunt filij peregrini muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi. Et aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, vt adferatur ad te fortitudo gentium, & Reges eorum adducantur. Gens enim & regnum quod non seruierit tibi, peribit, & gentes solitudine vastabuntur, &c. Et infra: Super muros tuos Ierusalem constitui custodes, tota die, & tota nocte in perpetuum non tacebunt. En, inquiunt, quomodo omnes hæ scripturæ, visibilem Ecclesiam sonant, perpetuamq; veritatis in eadem annunciationem prædicunt. Ne autem prolixius de hac re disputare opus sit, addunt ipsum Christum in cœlum ascensurum, de hac eadem

Isa. 60.

Isa. 62.

 quæ-

quæstione nos certos reddidisse, cum diceret his quos ad docendum & bapti- Matth. vlt.
zandum misit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Si enim Christus erit cum his qui docebunt & baptizabunt omnibus diebus vsq; ad consummationem sæculi; vtiq; etiam omni tempore erunt in Ecclesia visibili, qui verum Christi Euangelium prædicabunt: & Christus cum illis erit, vt vera prædicent, & per eos impleatur, quod ipse prædixit: Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimo-
Mat. 24 nium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.

CAP: XXI.

Respondetur ad contraria.

QVÆ autem his obijci solent: scilicet Ecclesiam, quæ Christi corpus est, non videri, sed credi: eiusq; membra viua esse, non mortua: leuia ab aduersarijs iudicantur, respondent autem aliud de Ecclesia Dei credi posse,

& aliud

&aliud videri. Sicut enim cum Christus in terris prædicaret, & miracula faceret, videbatur is, ac cognoſcebatur; ſed filius Dei, ac Redemptor credebatur: ita etiam Eccleſiæ ſocietas, ex omnibus gentibus, in vna fide, eodemque Sacramentorum vſu collecta, videtur atque cognoſcitur: quòd autem vera Dei Eccleſia ſit, creditur, ſacra Scriptura eam demonſtrante. Hoc etiam corpus Chriſti membra habere, inquiunt, non ſolum viua ac fructuoſa, ſed etiam mortua atque infructuoſa, teſtatur ipſe Chriſtus apud D. Ioannem; & quidem, niſi ad frugem redierint, ſuo tempore reſecanda, atque in ignem mittenda. *Ioan. 15* Siquidem hoc Chriſti corpus non naturale eſt, ſed myſticum; quod naturali per omnia ſimile eſſe non eſt neceſſe.

CAP. XXII.

Concluditur ſecuriſſimè ab Eccleſia Catholica veritatem peti ſi errare nolimus.

HAc igitur veritate ſic confirmata, inferunt nulli obſcurum eſſe poſſe,

quin ab hac eadem Ecclesia, in qua Spiritus veritatis omni tempore palam veritatem docet, veritas petenda sit. Ne tamen ambigendi locus sit, audiamus, inquiunt, Spiritum Sanctum. idem per Prophetas prædicentem. Et
Isaiæ.2. erit, inquit Isaias & Micheas, in nouissi-
Mich.4. mis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius. quia de Sion exibit Lex, & Verbum Domini de Ierusalem. Ecce, inquiunt, non ad Scripturas nos inuitant illi, licet & ipsæ veritatem doceant; sed ad Domum Dei, quæ est Ecclesia Catholica, in qua Spiritus Sanctus, sine omni ambiguitate, per ordinarios ac legitimos pastores, ex verbo Dei, viam salutis docet.

Non enim cuiusuis est ex Sacra Scriptura veritatem inquirere. Nam magna pars hominum sine litteris est: & litterati multi errant etiam cum Scripturã

scrutan-

ſcrutantur, alioſque ſecum in errorem adducunt, prout ſuperiora ſæcula teſtantur, & nos hiſce temporibus, magno noſtro malo, experimur. quia non humão ingenio intelligitur Sacra Scriptura; ſed eo Spiritu quo dictata eſt, qui non omnibus datur. Deus proinde, qui vult omnes ſaluos fieri, vt & ſimplicibus atque idiotis conſuleret ne omni vento doctrinæ circumferantur, & doctis modum ſapiendi ſtatueret; in domo ſua doctrinæ ſalutaris Cathedram firmauit; vt qui errare nolit, in Catholica Eccleſia, vbi magiſter eſt Spiritus Sanctus, veritatem quærat; quia Deus eam conſtituit columnam, & firmamentum veritatis: vt credendo & docendo veritatem in terra ſuſtineat ac firmet. *1 Tim: 3*

CAP: XXIII.

Quæ videatur hoc tempore Catholica Dei Eccleſia à qua ſit veritas petenda.

SI iam quærat aliquis; quæ ſit ea Eccleſia Catholica hoc noſtro tempore? Ean-

re? Eandem esse respondent, quæ semper fuit: Quæ enim sit, neminem dubitare posse aiunt, qui vel ipsum nomen expendere velit. Quid enim aliud est Catholicum, quàm vniuersale? Vniuersalis autem est Ecclesia Dei, secundum Scripturas, quia tempore, loco, & fidelium vniuersitate vniuersalis est. Tempore quidem, quia ab Apostolis fundata, perpetua pastorum ac gregis successione, in eadem fide ac Sacramentorum vsu perseuerat. Siquidem regnum est, (vt apud Danielem legimus) æternum. Loco etiam vniuersalis est, quia (vt apud eundem est) lapis ille est, contritis Monarchiis, repleuit vniuersam terram. Omnium denique fidelium est; qui fuerunt, sunt, vel erunt; quia ea vnica est Christi Sponsa, & mater fidelium omnium; vt qui eam non habuerint matrem, neque Deum habituri sint patrem.

Dan. 2.

Ibidem.

Quæ si ita sint, quænam Ecclesia Dei sit, quis inquiunt, non videt? Hactenus fere puduit Euangelicos, aiunt, suum cœtum Catholicum, aut se Catholicos dicere; vt ideo Lutherus, Symbo-

lum Apostolicum transferēs; articulum mutauerit, vt, pro Credo Sanctam Catholicam Ecclesiam, reposuerit, Credo Sanctam Christianam Ecclesiam; veritus, fortè, ne nomine Catholico, fœtus suus hesternus, idemq; exiguus proderetur. nunc tamen eius discipulos, numero aliquo auctos, illius deprauationis pudet, & arctiorem nominis interpretationem, quàm docuit antiquitas, excogitauerunt, ex qua singulæ Euangelicorum sectæ, suam synagogam Ecclesiam Catholicam appellare non verentur. Sed quid eos, inquiunt, hoc commentum iuuat? cum sic se solos Christianos esse iactantes, seipsos non tantum à Christianis totius orbis, qui in auita fide perseuerant, & ab omnium superiorum sæculorum fidelibus, excludant; verum etam se, secundum scripturæ interpretationem, Catholicos non esse confiteantur; idemque re ipsa ostendunt, cum antea nonnihil dilatati, indies, ob superuenientes sectas, in arctum constringuntur.

Maiorum autem Ecclesia, orbis Ecclesia est, quæ, cū Christiana fide, nata,

ac propagata, iam inde ex quo nata eſt, in vna ſemper fide, & Sacramentorum vſu continuata cernitur: ad quam etiam vniuerſæ gentes conuerſæ ſunt, & in dies ſingulos reliquiæ gentium conuertuntur; vt, ex quo hîc in Europa de fide Chriſtiana contendi cœptum eſt, tum in oriente, tum inoccidente, vbi ante vix homines eſſe ſciebantur, multo lõgius ac latius propagata ſit, quàm in ſeptentrione contracta,

Quo igitur conſultatione noſtra deuenerimus, ſatis, etiam nobis ſilentibus, cernitis Viri clariſsimi. Verùm omnia ad veſtrum eruditum iudicium referimus; quo, niſi remoremur, nihil aliud ſupereſſe videmus, quàm vt victricì dextra, dextram coniungamus; & ad auitam fidem, à qua parentes noſtri temerè, vt videtur, deflexerunt, cõſulto reuertamur. Quomodo enim de illa fide ac religione dubitare poſſumus? quam Catholica Eccleſia, ab Apoſtolis acceptam in omnia deinceps ſecula, ad noſtra vſque tempora, integram illibatamque conſeruauit, & ad omnes gentes propagauit: quæ per

totum orbem prædicata, tot diuinis signis atq; miraculis in omni gente confirmata, tot Sanctotum sanguine obsignata, tot Sanctorum Patrum consensu est illustrata: per quam tot fideles Deo placuerunt, æternamque salutem sunt consecuti: quorum fidei, & sanctæ conuersationi non tantum totus Christianus orbis testimonium perhibet; sed etiam Deus, æterna veritas, eandem euidentissimis sæpè signis tũ in vita tum post mortem viuentibus consignauit: quam etiam nunc maxima orbis pars sequitur, & hodie longè, lateque ad reliquias gentium propagatur Deo cooperante, & sermonem prædicantium confirmante sequentibus signis.

CAP: XXIV,

Conclusio totius Deliberationis.

VIdere iam videmur, vos audire: Quid ô Iuuenes, agitis? si patria fide relicta, ad Maiorum vestrorum religionẽ respexeritis, quis vobis locus in patria erit? aut quo vos conuertetis?

Equidem, Viri doctissimi, cara nobis est

bis est patria, pro qua etiam nunc labores subimus: at longè carior veritas, sine qua nulli salus contingit. Si Maiorum fides Christiana fides est; ea profecto non solum patriæ, & vitæ omnibus commoditatibus, verum etiam vitæ nobis præponenda erit. Quid enim proderit vixisse, si ideo æternæ vitæ dispendium faciendum sit. Ad æternam siquidem vitam non nisi via vna est, eaq; simplicissima, Sanctorumq; omnium calle trita; reliquæ verò omnes, cuiuscunque nominis sint, in æternum interitum ducunt. Si igitur vestro iudicio exulare necesse erit, apud Catholicam Ecclesiam, quæ mater est, exulabimus; ipsa nos recipiet.

Interim, propter Maiorum nostrorum fidem ac religionem, exilium nobis magnopere verendum esse non arbitramur. Nam etiam sic in patria & Deo fideles, & patriæ vtiles erimus. Regem enim & regni Proceres habemus, laus omnipotenti Deo, sapientissimos & moderatissimos, qui tam iustæ causæ non aduersabuntur: neque tam rationabili conscientiæ vim inferri pati-

entur, vt in se tantum sanguinem deriuent subditorum; præsertim cum (vt à parentibus nostris, aliisque senibus cognouimus) initio huius reformationis in patria institutæ, sic noua fides publicata fuerit, vt interim libertas omnibus, qui apud Maiorum fidem manere vellent, Regia ac Regni auctoritate fuerit publicata; eam autem interea publico aliquo edicto reuocatã fuisse, nunquam intelleximus.

De Serenissimi itaque Regis nostri clementia, Magistratusque humanitate benè confisi, hanc solicitudinem deponimus: Vos autem, Viri eruditissimi, obnixè rogatos volumus, vt hanc nostram deliberatiouem in meliorem partem interpretemini, vestroque calculo hoc nostrum consilium vel confirmetis: vel, certè, si quid solidius, diuinæque veritati conformius habuetis, id nobiscum communicare non grauemini. Benè valete. Datæ ipsis Kalendis Octobris Anno 1602.

PROPOSITIONES CATHOLICÆ ADVERSVS omnes huius temporis Sectarios.

Prima Propositio.

IAM inde à temporibus Apostolorum vſq; ad annum decimum ſeptimum ſupra milleſimum quingenteſimũ, quo Martinus Lutherus nouam ſuam doctrinam in mundum inuexit, nemo in toto orbe extitit, qui per omnia cum Martiniſtarum, Caluiniſtarum, Anabaptiſtarũ, aut aliorum eiuſmodi ſectariorum opinione conſenſerit: neque vllus vnquam hæreticorum probabit Apoſtolos aut Euangeliſtas Martiniſtarum, Caluiniſtarum,

vel

vel alterius nouæ sectæ fuisse,

Ex quo consequitur Martinistas, Caluinistas, Anabaptistas, & similes alios nullam prorsus habere fidem, sed recens duntaxat excogitatũ figmentũ, quod fidei nomine exornant, & venerantur, eosq; esse illos, de quibus variis in locis scriptura sacra affirmat: *Nouißimis temporibus venturos pseudoprophetas.*

SECVNDA PROPOSITIO.

PRobari non poteſt, quod Religio & Fides ſanctæ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ ab aliquo Pontifice, Conciliis, aut Epiſcopo Catholico in vllo articulo, qui quidem ad Religionem ſpectet, aliqua ratione mutata ſit: neq; quiſquã eorum afferri poterit, qui ipſam immutârit; quin potius probatur, eandem prorſus

ſus fidem à temporibus Apoſtolorum ad hanc vſq; diem integrã, inuiolatamq́; perſtitiſſe, atque per ſucceſſionem continuã, ceu per manus traditam, ad nos perueniſſe.

Vnde manifeſtò colligitur, hãc ipſam eſſe quam Apoſtoli docuerunt; eandemq́ue proinde quã à magiſtro Chriſto in eius ſchola didicerunt.

Tertia Rropositio.

OStendi etiam non poteſt, aut Cæremonias, aut Sacramenta, aut doctrinam vllam Sanctæ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ aliquid continere: quod Scripturæ ſacræ repugnet: quin potius Doctores omnes clarè docent, atque demonſtrant prędicta hæc omnia apertè cum ſacris literis conuenire, cuiuſmodi eſt illud:

Hoc est corpus meum: Et alia.

Ex quo ſequitur, quod Martiniſtæ, Caluiniſtæ, aliiq; Sectarij à Sancta Catholica Romana Eccleſia immeritò ſeſe & ſine ratione ſeiunxerint Quod etiam qui ab Eccleſiæ Catholicæ gremio ſe abducũt, cauſam nullam adferre poſſint, cur ad Martiniſtas potius quàm ad Caluiniſtas, Anabaptiſtas, Puritanos, aut id genus alios hæreticos tranſeant.

QVARTA PROPOSITIO.

NEc probari poterit in Sancta Eccleſia vllo vnquam tempore admiſſos fuiſſe Sacerdotes, qui prius ab Epiſcopis non eſſent ritè conſecrati.

Vnde rectè infertur, quoſuis miniſtros Martiniſtarum, Caluiniſtarum, & aliorum ſectariorum, iuxta antiquam Eccleſiæ

consuetudinem, non initiatos, à re, & nomine diuini Sacerdotij prorsus alienos esse. Atq; in sua, quam dicunt Cœna, aliud nihil administrare, quàm meram panis partem, aliudq; nihil, Proindeq; nec habere potestatē à peccatis absoluendi, sed in ijsdem sordibus peccatorum à se dimittere populum, cum quibus accesserat.

QVINTA PROPOSITIO.

IN vniuersa Sacra scriptura nō inuenies, aliud nihil esse credēdum, quàm quod clarè & expresse in ea scriptū continéatur.

Ex quo consequens est, Fundamentum euerti, quo nituntur Martinistæ, Caluinistæ, alijque Sectarij, dum affirmant; præter id quod in Sacris literis expressè positum inueneris, nihil esse credendum.

Sexta Propositio.

POrrò, ad huius confirmationem propositionis, petitur vt Martinistæ, Caluinistæ, alijque Sectarij ostendant, vbinam scriptum inueniant Euangelium secundùm Matthæum esse sacram scripturam potius quàm Euangelium secundùm Nicodemum: quod cùm facere non possint, credant tamen Euangelio secundum Matthæum tanquam sacræ Scripturæ, fateantur necesse est, se aliqua credere, quæ sacris literis non continentur.

Septima Propositio.

OStendi etiam non potest Catholicum aliquem virum totis his mille quingẽtis annis extitisse, qui Romanum Pontificem Antichristi loco habendum duxerit, aut sacrosanctum Missæ

ſacrificium conuitiis inſectatus fuerit: aut denique inuocationē Sanctorum, Suffragia, quæ pro defunctis fieri aſſolent, & ſimilia pietatis opera ad fidem, & Religionem apertè ſpectantia, quæque per mille quingentos annos vniuerſus orbis laudabiliter coluit, reprehenderit.

Quare Martiniſtas, Caluiniſtas, alioſque Sectarios impiè agere manifeſtum eſt, dum ea criminari non verentur.

OCTAVA PROPOSITIO.

PRimi auctores Fidei Chriſtianæ tā in Germania inferiore, quàm in Hiſpania, Italia, Francia, &c. aliam fidem nec agnouerunt, nec in has regiones induxerunt; Nec maiores noſtri aliam vel edocti ſunt, vel receperunt, quam Sanctam Catholicam Ro-

manam quam eandem nosipsi à parentibus nostris accepimus, acceptamq́; hactenus conseruauimus.

Impiè igitur faciunt Martinistæ, Caluinistæ, alijq́ue Sectarij, qui aliam quãdam suam excogitatam opinionem, tanquam certissimam fidei regulam, & purum ac putum Dei verbum populo proponunt, quàm vel vniuersus orbis agnouerit, vel ipsi à Maioribus suis didicerint. Scriptum enim legimus: *Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, Anathema sit.* Hoc est; à Deo sit ille maledictus,

CONCLVSIO.

EX his Propositionibus clarũ sit, neque Martinistas, neque Caluinistas, neque alios quosuis Secta-

Sectarios hac noua sua opinione aut Deo placere, aut ad æternam beatitudinem pertingere, aut perpetuam damnationem posse euadere: *Nam sine fide impoßibile est placere Deo.* Superius autem probatum est, Martinistas, Caluinistas, aliosque Sectarios omnes, nullam habere fidem, sed opinionem duntaxat recens excogitatam, nouumque figmentum, cui si adhærescere pergant, absq; dubio in æternum peribunt.

Proinde cùm & æternitas infinita sit; & pænæ inferni acerbissimæ: sitq; vita præsenti nihil incertiùs, & nihil certiùs morte: salutis vestræ rationem quæso habetote.

FINIS.

Ung. - St. Druck.

[illegible] q. ii. [illegible]
requit. [illegible]
lebre uidet l[illegible]
lis ectus p[illegible]
[illegible] aguit. [illegible]
[illegible] ctus eet no uidetur
ee dubitatio quis eu
cfecit. nisi [illegible]
[illegible] populum [illegible]
Damnis. districtu[illegible]
ter ciuitates p ciues
x. di. lege. au[illegible] q. vi. la[illegible]
quippe. al. uel [illegible]
[illegible]
[illegible] diffiniat [illegible]
[illegible] bus [illegible] xvi. q.

[illegible]
[illegible] ul [illegible]
tima obseq[illegible]
fice[illegible]
uli [illegible]
erig[illegible]
[illegible]
au[illegible]
criminos[illegible]
exceptis[illegible]
[illegible]